



Consensus Veteris Et Moderni Papatus

Reck, Johann von der

Monasterii Westphaliæ, 1722

II. Sanctum Petrum Apostolorum, & universæ Ecclesiæ caput constitutum
esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

militēs Principibus, Diaconi Presbyteris, ut Sacrorum administratoribus: Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis clerus simul cum omni populo, & militibus atque Principibus, sed & Cæsare, obediant Episcopo: Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus; & ita unitas per omnia servatur.

II.

Sanctum Petrum Apostolorum,
& universæ Ecclesiæ caput constitutum esse.

S. Cyprianus libro de simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.

S. Gregorius Magnus l. 4. Epist. 23. ad Maur. Cunctis ergo Evangelium scientibus liquet; quòd voce Dominicâ Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est.

Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. c. 12. Intuitus autem eum Jesus (*videlicet*

licet Petrum) dixit : tu es Simon Filius Jona , tu vocaberis Cephias , quod interpretatur Petrus ; & nec Simon jam fore nomen sibi , sed Petrus prædicit , vocabulo ipso commodè significans , quòd in eo tanquam in Petra , lapidè que firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.

S. Ambrosius in cap. 12. Epist. 2. Cor. Denique prior secutus est Andreas salvatorem , quàm Petrus ; & tamen primatum non accepit Andreas , sed Petrus.

Item Sermone 47. Petra , inquit , dicitur Petrus , eò quòd tanquam saxum immobile , totius operis Christiani compagem , molèmque contineat.

S. Augustinus tomo 4. ex novo Testam. q. 75. (vel quisquis auctor istius operis ; constat certè eum vixisse circa tempora Augustini) ipsum enim constituit esse caput eorum , ut Pastor esset Gregis Dominici.

Item contra Donatistas de baptis. l. 2. c. 1. Ecce ubi commemorat Cyprianus ,
quod

quod etiam nos in Scripturis sacris didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.

III.

Pontificem Romanum, Sancti Petri in primatu Ecclesiæ, successorem esse.

S. Ambrosius ad caput tertium prioris ad Timoth. Ut, cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus.

S. Chrysostronus lib. 2. de Sacerd. Quanam de causa idem ille sanguinem effudit suum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat.

S. Hieronymus ad Papam Damasum de nom. Hypost. Cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communiõne consocior; super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque